



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus XIII. De fraudulento emptore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

CASUS XIII.

De Fraudulento Emptore.

SEmpronius bis vel ter emendo aliqua à rustico, eundem ita circumvenit, ut denique decem florenorum damnum venditor passus fuerit.

Q. 1. An licitum sit quolibet pretio rem vendere, aut emere?

Q. 2. An lædens infra dimidium iusti pretij teneatur ad restitutionem?

Q. 3. Quid si pretium absolute quidem erat iustum; minus tamen illo, quo venditor rem absente fraude, vendidisset?

Q. 4. Num sempronius ad restitutionem condemnari debeat?

SYNOPSIS.

- | | |
|---|--|
| 1. Circumventio potuit esse materialis tantum, aut formalis. | lutè adhuc quidem iustum, vel iusto minus. |
| 2. Vel in ipso contractu, vel in solutione pretij intervenisse. | 4. Damnum commissum in solutione minoris promisso pretij est certo reparandum. |
| 3. Solutum pretium vel erat abso- | |

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An licitum sit, quolibet pretio rem vendere, aut emere?

- | | |
|--|---|
| 5. Ostenditur pretium cuilibet emptioni ac venditioni essenziale esse. | 9. Qualiter quilibet rei sue moderator, & arbiter sit. |
| 6. Non tamen istud necessario debet esse justum, ut contractus valeat. | 10. Num contrahentibus liceat se mutuo circumvenire. |
| 7. Nequaquam licet quolibet pretio vendere aut emere. | 11. Contrahentes non semper excusantur vel defectum condonant sibi invicem. |
| 8. In quo sensu res tanti sit, quanti vendi potest. | |

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An ledens infra dimidium justij pretij teneatur ad restitutionem?

- | | |
|--|---|
| 12. Facta etiam infra dimidium lesio illicita & restitutioni obnoxia est. | 18. Infra dimidium lesio conceditur actio indirecta, & per viam denuntiationis. |
| 13. Quandonam scienti, & consentienti non fiat injuria. | 19. Defendentibus a jure approbati hanc deceptionem incumbit bona probatio. |
| 14. Decepto infra dimidium negatur actio, quin hæc lesio à legibus approbetur. | 20. A legibus præscriptionis nulli ad has leges argumentatio. |
| 15. Nec sine fundamento id asseritur. | 21. Quia pro utrisque pugnat diversa ratio. |
| 16. Qualiter bona fide ledens, alteri teneatur restituere. | 22. Denegantes infra dimidium lesio actionem non sunt injuria. |
| 17. Bonum commune non exigit, ut partum iniquum lucrum remaneat ledenti. | |

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quid si pretium absolute quidem erat justum, minus tamen illo, quo venditor rem absente fraude vendidisset?

23. Venditor habet jus ad rem suam vendendam pretio summo, vel medio.
 24. Hinc eidem tenebitur venditor, si, ut minore venderetur pretio, emptor per dolum formalem inductus fuerat à venditore.
 25. Licet in hac venditione simpliciter justum pretium solutum fuerit.
 26. Eò quòd tamen fraus quedam intervenerit.
 27. Nec donatio pretij defraudatè intervenerit.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Num sempronius ad restitutionem condemnari debeat?

28. Responsio est affirmativa.

Deceptio, qua mediante rusticus venditor in talibus contractibus circumventus decem florenorum damnum passus fuisse ponitur, potuit esse vel tantum materialis, vel etiam formalis. hæc aderat, quando emptor mala fide, hoc est, cum dolo formali, & cum deceptione propriè dicta, mendacio scilicet dolo, aut falsitate interveniente venditorem circumvenerat: Materialis ex opposito deceptio commissâ fuerat, si absque tali mendacio, dolo, aut falsis artibus prædictum damnum ignorantî rustico causaverat.

Præterea deceptio hæc tam formalis, quàm materialis, vel in ipso contractu emptionis commissâ fuerat, in quantum rusticus ad minus pro tradita merce accipiendum pretium artificiosè inductus erat: vel in solutione pretij, dum integrum, circa quod antea jam convenerant, persolutum emptori pretium non erat.

Ulterius pretium minus, quod acceperat venditor vel erat adhuc æquum, & non minus infimo justo pretio, ut tamen non adæquaverit illud, quo aliàs mercem suam rusticus vendidisset: vel erat

Z. 3

etiam

etiam infimo justo aliàs pretio inferius. si hoc ultimum tunc vel adhuc continebatur infra dimidium, vel erat ultra dimidium iusti pretij ut igitur decidamus, an emptor noster ad restitutionem aliquam faciendam teneatur, examinandum nobis erit, num omne illud pretium sit iustum, de quo emptor atque venditor in contractu inter se convenerunt? Secundò an damnum intra dimidium iusti pretij contentum sit restitutioni obnoxium? Tertio si solum pretium non fuerit inferius justo infimo, minus tamen illo, quo venditor rem vendidisset, si deceptio non intervenisset, num etiam tunc reparatio ex tali circumventionem resultantis damni sit venditori rustico facienda.

Et primo quidem omnibus certum apparet, reparandum esse damnum, quod rusticus ex eo passus fuerat, quia debita solutio ob defectuosam monetam eidem non fuerat præstita; non secus, ac ipse venditor emptori teneatur, quando hic damnum fuisset passus, eò quòd merx vitiosa eidem à venditore extradita fuerit.

His ergo tanquam certis suppositis, ad resolutionem propositæ triplicis quæstionis progredimur: certò enim ad restitutionem tenebitur fraudulentus emptor, si in prædictis tribus circumstantijs celebratæ emptiones decipientem à restitutione non excusent.

S. I.

Resolvitur primum Quæsitum?

An licitum sit quolibet pretio rem vendere, aut emere?

Quòd pretium aliquod sit de essentia emptionis, venditionis manifestum est ex definitione illius, quæ à plerisque Jurisperitis ita formatur: emptio est contractus juris gentium nominatus, bonæ fidei, solo consensu initus, de re sive mercede emptori tradenda, & pretio nummario venditori dando, id ipsum insinuat *lege*

2. ff. de contrab. emptione: sine pretio nulla est venditio: item lege 72. ff. eodem emptiois substantia consistit in pretio. oportet autem hoc pretium esse verum, certum, pecuniarium & iustum.

Et si autem aliquod pretium sit emptioni Cuius essentialè, de substantia tamen huius contractus neutiquam erit, ut pretium sit iustum:

justum : hinc licet injusto pretio
merx quædam empta fuerit, ejus-
modi tamen emptio pro valida
habetur. asseritur hoc in *leg. 38.*
ff. de contrab. empti : leg. 16. §.
4. ff. de minor. leg. 22. §. 3. ff. lo-
cati : uti etiam toto titulo Cod.
de rescind. vendit.

Cum ergo, uti modò vidimus,
pretium, & quidem, ut contra-
ctus sit licitus, justum, in qua-
libet emptione intervenire debeat,
ulterior movetur quæstio, utrùm
quodlibet statim pretium sit ju-
stum, de quo inter se contrahen-
tes convenerunt : ita ut justitia
pretij à conventionem, & consen-
su singulorum contrahentium, vel
aliunde sit desumenda.

7 Dico itaque: nequaquam in po-
testate venditoris esse augere pre-
tium, & in emptoris diminuere,
quantum quilibet vult : conse-
quenter non esse licitum, quo-
vis pretio vendere ac emere. ita
communis. Prob. Justitia, &
æquitas emptionis in eo consi-
stunt, quòd inter pretium & mer-
cem, quæ pro pretio exhibetur,
detur æquitas vel æqualitas : sed
hæc æquitas seu æqualitas non de-
pendet à conventionem singulari cu-
juslibet ementis, ac vendentis :
ergo æquitas, & justitia hujus con-
tractus non dependet à quocun-
que consensu, & conventionem par-
ticularium contrahentium. Ma-
jor patet, si enim non datur hæc
æquitas seu æqualitas inter mer-
cem, ac pretium, unus contra-

hentium habebit plus in suis bo-
nis, alter autem minus, quàm
quòd deberet habere ; consequen-
ter à justitia intenta æquitas sive
æqualitas non servabitur.

Prob. itaque minor : hæc æqui-
tas, seu æqualitas inter pretium,
& mercem non semper reperitur
in quocunque contractu, & pre-
tio, circa quòd contrahentes pos-
sunt convenire : ergo, si æquitas
vel æqualitas emptionis consi-
stunt in æquitate, seu æqualitate
pretij cum merce, æqualitas hæc
sive æquitas non dependebit à
conventionem contrahentium, prob.
ant, est suus intrinsicus valor tam
rei, quæ emitur, quàm pretio,
quo res emitur, & quidem inde-
pendens à conventionem cujuscun-
que particularis contrahentis : ergo
hæc æquitas, seu æqualitas non
semper reperitur in quocunque
contractu, & pretio, circa quòd
quivis particularis contrahens cum
alio convenit : prob. ant. cujus-
cunque particularis personæ judi-
cium de valore rei potest esse er-
roneum : & voluntas potest esse
mala : ergo ab istis non dependet
intrinsicus valor tam rei, quæ emi-
tur, quàm pretij, quo res emi-
tur.

Confirmatur : ex Sexto Pedio
Paulus Juris Consultus *lege 33.*
ff. ad legem Aquiliam ait : *pretia*
rerum non ex affectu, nec ex utili-
tate singulorum, sed communiter
(hoc est, juxta communem asti-
mationem) *funguntur, tanti sci-*
licet

licet res est aestimanda, quanti vere est, & omnibus valet, non quanti alicui ex affectione tantum valet. Simile quid habetur lege 63. ff. ad legem Falcidiam: & cap. placuit. de empt. & lege 7. Cod. de erogat. milit. annon.

Prob. 2. Omne pretium iustum juxta Authores est vel legitimum, vel vulgare; seu quod idem est, vel statutum à Principe, aut Magistratu, vel impositum communi hominum intelligentium aestimatione: sed non omne pretium, de quo particularis quilibet cum alio potest convenire, est tale legitimum, aut vulgare pretium: ergo non omne, de quo quilibet privatus convenit cum altero, est iustum pretium.

8 Ob. 1. Ex lege pretia rerum 63. ff. ad legem Falcidiam, ac lege 1. §. 16. ff. ad S. C. Trebell. habetur desumptum vulgare Jurisperitorum proloquium, quod res tanti sit, quanti vendi potest: ergo pretium circa quod contrahentes inter se convenerunt, est iustum. w. 1. in citata Lege pretia rerum doceri potius contrarium: ita enim habet illius initium: pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur. w. 2. dist. proloquium allatum: res tanti est, quanti vendi potest licite, seu intra limites iusti pretij, & sine fraude: conc. quanti absolute etiam extra istos limites, ac dolose vendi potest, neg. cum in emptionibus dolus, fraus, ig-

norantia, violentia, necessitas, nimius affectus, atque caeca passio, concurrere possunt, uno vel pluribus horum intervenientibus, si conventum inter contrahentes fuerit de pretio, hoc non erit aequale merci, consequenter injustum.

Ob. 2. Venditor non tenetur alijs rem suam tradere nisi pretio, quo ipse voluerit: & emptor non tenetur mercem venalem emere, nisi pretio, quod ipsi placuerit: ergo omne, de quo convenerunt pretium, erit iustum: prob. ant. vi legis in re 21. Cod. mandati: quisque rei suae moderator est, & arbiter, consequenter emptor etiam pretij, & venditor suae mercis ergo verum est antecedens. w. neg. ant. in prob. dist. ant. quilibet est rei suae arbiter, ita ut illam non teneatur invito alienare, aut vendere, sed possit circa illam, quod placuerit, disponere: conc. ant. est arbiter, ita ut volens alienare possit illam quocumque etiam injusto, & cum re vendita habente inaequalitatem pretio distrahere: neg. ant. & consensensus itaque allatae legis 21. Cod. mandati est, Dominum posse ad libitum de re sua disponere, nisi lex obstet: hanc autem liberam dispositionem non competere mandatario.

Ob. 3. Vi legis in causa 16. §. 10. ff. de minor. naturaliter licitum est contrahentibus in pretio emptionis, ac venditionis se circum-

venire : ergo quodlibet pretium est justum , de quo contrahentes convenerunt : prob. conf. quod naturaliter concessum est , licitum utique , ac justum est. *u. dist. ant. vi citata legis licitum* , hoc est , permissum & toleratum est à qualibet natione , ut contrahentes in emptione , ac venditione aliquantulum se defraudent , & decipientes à iudice non semper condemnentur ad restitutionem , ac rescissionem contractus , conc. ant. licita , hoc est approbata positive à jure naturali est ejusmodi qualiscunque circumventio in pretio , negatur ant. & conf.

Urgent : gratis atque sine fundamento asseritur , quod *To licere* , idem sonet , ac esse permissum , & à iudice seculari tantum non puniri omnem ejusmodi conventionem. *u. neg. quia in lege non omne ff. de regulis Ju-*

vis habetur , non omne , quod licet , honestum est : ergo etiam hic & alibi sapè , To licere significat permissum esse.

Ob. 4. Contrahentes censentur tacita conventionem in hoc consentire , ut quod plus est , & excedit justum pretium sibi invicem condonent : ergo non erit illicitum , quocunque pretio rem vendere. Prob. conf. qui sciens , & prudens dat plus , quam res valet , meritò censetur excessum alteri donare , ergo &c. *u. neg. ant. in probatione nego suppositum antecedentis* , quod ordinariè scienter , ac cum prudentia detur excessus , cum emptores ordinariè excessum pretij ex ignorantia , vel necessitate coacti perfolvant : ex eadem etiam ignorantia , vel necessitate venditores suas merces minus justo pretio divendant ,

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An ledens infra dimidium justij pretij teneatur ad restitutionem ?

Dico : etiamsi hæc læsio fuerit infra dimidium , erat illa tamen illicita , obligans ad restitutionem defectus decepto rustico faciendam. Ita Divus Thomas 2. 2. q. 77. art. 1. cum communi *TT.* ac defenditur à Lugone *diss. 20, n. 168* , à Lessio *lib. 2,*

c. 21, n. 21 , Sporer *tr. 6. c. 5. n. 27.* Sylvio *in resoluti : casuum p. 1. V. contractus. La Croix n. 936. de emptione* , Palao *de Just. disp. 5. pu. 17. §. 2. n. 3.* citante Cajetanum , Bannes. Aragon. Salon , Navarrum , Matien , Acebedo , Covarruv. Molinam *disp. Aa 350.*

350. Salas. Primum membrum, quod scilicet talis læsio sit illicita, & peccaminosa, prob. 1. ex Deuteronom. 25. v. 13. ubi universaliter, nulla facta distinctione, dicitur Judæis: *non habebis in saculo diversa pondera, majus & minus &c.* quæ autem ratio DEUM permoverat, ut prohiberet deceptionem in pondere, illa etiam pugnat contra circumventionem in pretio. 2. Divus quoque Paulus 1. ad Thessalonicenses 4. dicit, *ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus.* Idem membrum probatur tertio: Vi legis jure naturæ ff. de Reg. Juris habetur: *jure nature equum est, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiolem.* Idem in lege jure succursum §. fin. ff. de Jure dotium habetur. Prob. idem membrum quarto, quod legi naturali adversatur, est iniquum, ac peccaminosum: sed deceptio etiam infra dimidium justij pretij adversatur legi naturali. Prob. min. nullus vult, ut sibi ipsi inferatur hoc damnum: ergo legi naturali adversatur; quod enim tibi non vis fieri, alteri ne facias.

Prob. nunc 2. membrum conclusionis, asserens in hoc casu dari obligationem restituendi, Quandocumque fuit læsa Justitia etiam est facienda ejusdem reparatio: sed illa fuit læsa, quando deceptio est etiam infra dimidium;

ergo etiam tunc facienda est restitutio. Major patet; Justitiæ enim est tribuere cuilibet, quod suum est. prob. itaque minor: etiam tunc quando læsio fuit infra dimidium, non datur æqualitas inter mercedem, & pretium, quam exigit justitia: ergo etiam tunc fuit læsa prob. ant. vel pretium est minus merce, vel merx minor pretio: ergo &c. Prob. 4. possunt evenire casus, ut unus fuerit læsus infra dimidium & alter ultra dimidium, & tamen læsus ultra dimidium non patitur tantum damnum, quantum patitur, qui fuit solummodo læsus infra dimidium: ergo si læsus ultra dimidium est facienda reparatio illati damni, erit hæc etiam facienda patienti damnum infra dimidium, prob. ant. si enim castorum cum adiacentibus suis bonis 8000. florenorum pretio, quod valet tamen decem millibus, læsio hæc erit infra dimidium, ex altera verò parte, si alius emat equum 30. florenis, qui valet 70. florenis, vendens fuit læsus ultra dimidium, sed in hoc casu læsio ultra dimidium est minor læsione priore infra dimidium: ergo potest læsio infra dimidium esse maior læsione ultra dimidium.

Prob. 3. Ut lædens infra dimidium pretij rigorosi excessum possit retinere, debet ille necessarium habere aliquem titulum: atqui nullum habet, prob. min. non habet titulum donationis, cum ab

altero contrahente non donetur: nec emptionis, cum hæc eidem jus tribuat ad solum pretium rigorosum: ergo &c.

Prob. 4. Vi solius juris naturalis, ac seclusa omni alia lege positiva essent injustæ tam læsio infra, quam supra medietatem justii pretij: ergo etiam læsio infra dimidium injusta erit supposita lege positiva, quæ negat actionem læsio infra dimidium justii pretij. prob. consequ. lex hæc positiva solummodo negavit læsio tali actionem in foro externo, non tamen eidem jus quoddam in excessum pretij rigorosi contulit: ergo &c. prob. ant. decipiens non debet aliquod commodum ex sua nequitia reportare: ergo lex hæc non sustulit in hoc puncto jus naturale.

¶ Ob. 1. Nunc contra secundum membrum concl. datæ scienti, & consentienti non fit injuria vi reg. 27. de Reg. juris in 6. item lege 145. ff. eodem Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt ergo saltem tunc non erit locus restitutioni, quando sine fraude ulla, & bona fide læsio fuit facta infra dimidium. prob. conf. si etiam in hoc casu deberet reparari damnum illatum, ratio foret, quia deceptus emptor nihilominus excessum invitus perfolvit: hæc ratio nulla est. prob. min. in Canone non sanè 24. q. 5. habetur non quidquid ab invito sumitur, injuriose auferitur: ergo &c. ¶ 1. re-

troq. Argum. si consentienti non fit injuria, tunc possem Titio valde cupido mearum rerum, hæc eidem vendere justè, ac licitè pretio, in quo Titius est læsus ultra dimidium justii pretij; consequenter valeret emptio, in qua res mea valens centum, emptæ fuisset à Titio plus quam ducentis hoc videtur esse contrarium communi persuasioni: ergo &c. ¶ 2. dist. omnino volenti ac consentienti sponte, sine admixto involuntario non fit injuria; conc. non sponte, sed aliquantulum coactò, & invito non fit injuria: neg. subinde emptor comparare res aliquas constituit, & in pretium à venditore propositum nequaquam libens consentit, sed ideo præcisè, quia mercem desideratam minori pretio ob avaritiam venditoris obtinere non potest: ergo dabitur involuntarium secundum quid.

Ob. 2. In cap. cum dilecti 6. de 1. emptione & venditione, item lege rem majoris 2. & leg. si voluntate 8. Cod. de rescind. vendit. ut læsio actio contra lædentem detur, requiritur, ut læsio sit supra dimidium consueti pretij: ergo læsio infra dimidium erit justa. prob. conf. illa læsio est justa, quæ non inducit obligationem restituendi, sed excessum relinquit lædenti: atqui hoc facit memorata læsio. prob. min., talis excessus auctoritate Judicis retineri potest: ergo prob. conf. quod legis aucto-

A 2

rita.

ritate fit, justè fit vi legis Gracchus 4. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* 2. conc. antec. neg. conf. in prob. neg. min. & suppositum, quòd citatè ad initium leges ejusmodi emptiones aut venditiones tanquam justas approbent, aut excessum adjudicent habenti; cum tantum ejusmodi decepto actionem in foro externo negent. aliud autem est negare læso infra dimidium actionem, & aliud approbare tanquam justam ejusmodi læsionem, & excessum adjudicare lædenti.

15 Dices: gratis à nobis asseritur, quòd illis legibus duntaxat actio quædam negetur læso infra dimidium: ergo &c. 2. neg. ant. & dico 1. adversarijs, ne gratis hoc asserant, incumbere onus probandi. 2. rationem id asserendi esse, quia illa approbatio nullibi in jure ostendi potest; & ex altera parte constat, etiam in alijs negari subinde actionem, licet non approbetur factum, contra quod denegatur actio. 3. ideo solam actionem à citatis legibus læso infra dimidium negari, & læsionem non approbari, quia non præsumenda sunt jura approbare læsionem mala fide scienter factam: sed talem approbarent, prob. min. jura illa non distinguunt inter læsionem mala, vel bona fide factam, sed absolute actionem negant læso infra dimidium, modò non intercesserit formalis dolus, mendacium

scilicet, aut falsitas: ergo si leges illæ approbarent talem læsionem, approbarent injustam.

Ob. 3. Si omnis fraus absuit, tunc non datur obligatio restituendi ex injusta acceptione: ergo excessus poterit retineri, saltem si bona fide res minore pretio fuit comparata. 2. talem obligatum iri ex re accepta eò quòd rem invito domino retineat, & nullum habilem titulum inveniri retinendi excessum pretij, aut mercis: hinc, nisi accesserit præscriptio, aut res bona fide absumpta fuerit, quin exinde emptor aut venditor evaserit damnosus, ipsi læso reparandum illatum damnum erit.

Ob. 4. Lex humana optimè potuit ob vitandas lites, & animarum periculum statuere, ne lædens infra dimidium justij pretij obligationem restituendi haberet, licet peccaret: ergo non tenetur restituere. prob. ant. ratio justa hoc statuendi potuit esse, ut vitentur lites, & animarum periculis subveniretur: ergo &c. prob. nunc etiam conseq. primi enthemematis: si potuit, tunc de facto istud statuit: sed si defacto id statuit, tunc excusatur ab obligatione: ergo &c. prob. Maj. ex leg. 2. *Cod. de rescind. vendition.* 2. 1. transeat antec. Palao enim de *Jus. disp. 5. pu. 17. §. 2. n. 4.* judicat, à lege statui non posse, ut bona fide decipiens ab obligatione restitutionis, cognita post-

modum veritate rei excusetur, Rationem hujus suæ assertionis affert, quòd ad modò enumeratos fines obtinendos non fuerit necessarius, ut à restitutione, aliàs naturaliter faciendâ, ejusmodi bona fide decipiens excusetur. *R. 2.* transmissio ant. neg. conf. quòd scilicet ista exemptio actualiter à jure positivo fuerit statuta. Quòd attinet citatam Legem 2. rem Majoris Cod. de rescindenda venditione, dico illam solummodo denegare læso infra dimidium actionem in foro externo.

18 Dices 1. læso infra dimidium denegatur actio in foro externo: ergo non habet ullum jus ad restitutionem. prob. conf. si competeret eidem jus aliquod, haberet actionem: ergo, si hanc non habet, neque eidem jus quoddam competet.

R. 1. Juxta Fachinæum lib. 2. controvers. cap. 25. Salon 2. 2. quest. 77. art. 1. controvers. 17. Molinam disp. 349. Rebellum lib. 9. q. 3. sect. 2. Salas tract. de empt. dub. 17. n. 3. § 4. Palaum de Just. disp. 5. pu. 17. n. 7. taliter læso conceditur actio indirecta, per viam denuntiationis, & quidem absque ulla controversia eò quòd possit Judici Ecclesiastico denunciare, ut læsus satisfaciatur suæ obligationi reparandi læsionem, ad quam reparandam in conscientia tenetur: ergo non dabitur lex attribuens læsenti exemptionem à

restitutione pretij, quòd adhuc deest, ut evadat justum.

R. 2. Conc. ant. neg. conf. plura etenim alia à legibus non vindicantur, & denegatur ex quibusdam actio, quæ tamen in se inhonesta, & coram Deo illicita esse certò constat.

Dices 2. Etsi aliqua non approbentur, licet de illis non detur actio, plura tamen inveniuntur, quæ & carent actione, & positivè approbantur à legibus: ergo nobis probandum erit, quòd noster casus in his pluribus non contineatur.

R. 1. cum legi naturali talis deceptio sit contraria, volentibus hanc à jure positivo correctam fuisse probatio incumbet. *R. 2.* sufficienter assertionem nostram ex eo probatam esse, quòd nullibi hujus approbationis mentio fiat, faciendâ tamen necessario, si hoc Leges intenderent; cum longè quid aliud sit cuidam læso denegare actionem, & lædentis actum approbare. 2. si excessus infra dimidium spectaret ad lædentem, tunc non deberet hunc restituere, si ultra dimidium venditorem læsisset, sed sufficeret, si excessum ultra dimidium retento reliquo restitueret: atqui hoc est falsum, in exemplo rem valentem 100. à me Titius emit plus quàm centum & quinquaginta, hoc est centum & sexaginta florentis: in hoc casu læsio emptoris conficit sexaginta florenos, quæ læsio est

Aa 3

ultra

ultra dimidium, & excessus ultra dimidium conficit dumtaxat Decem: si enim dumtaxat 150. emisset, læsio fuisset intra, & non supra dimidium: si ergo lædens dumtaxat tenetur reddere læso id, quod est ultra dimidium, & pro se retinere potest, quod est intra dimidium, potero retinere pro me 150. & satisfaciam modò ementi restituam decem; quia ex sexaginta florenis, in quibus emptor fuit læsus, quinquaginta sunt intra dimidium, & supra dimidium dumtaxat decem: ergo ultra centum, qui conficiunt justum pretium retinere adhuc potero quinquaginta, quia isti, uti dixi, adhuc sunt intra dimidium justii pretii, & quod est intra dimidium justii pretii juxta adversarios lædens retinere potest.

20 Dices 3. leges de præscriptione agentes non tantum negant læso actionem, sed etiam dominium rei præscriptæ in præscribentem transferunt: ergo idem de his legibus erit tenendum, & neg. conf. ratio est; quia leges de præscriptionibus agentes expressè adstruunt dominium bona fide præscribenti, similes autem leges non habentur de lædente infra dimidium. & 2. quòd leges tantummodo bona fide præscribenti adjudicent hoc dominium: ergo si est paritas etiam excessus seu defectus justii pretii denegabitur solummodo læso, si hic à bonæ fidei læsore aliquid passus fuerit,

non autem id procedet, si læsio mala fide, hoc est cum dolo formali, & cum deceptione propriè dicta, mendacio scilicet, aut falsitate interveniente contigerit: ergo cum leges non factò hoc discrimine generaliter negent hanc actionem quocumque modo infra dimidium læso, non erit asserendum, quòd de translatione dominij loquantur.

Dices 4. Non est major ratio, ob quam jura transferant rei præscriptæ dominium in præscribentem, & talis pretii deficientis partem non transferant in lædentem infra dimidium: ergo si unum sit, etiam alterum factum fuisse supponitur. & neg. ant. ratio enim propter quam in bonæ fidei præscribentes translatum fuerat dominium, est, ne dominia rerum manerent incerta: tum ut gravissima damna possidentium evitentur, qui optima fide suppositè longissimo tempore res aliquas possederunt, invalido tamen cum titulo acquisitas: harum igitur rerum amittendarum periculum paterentur, nisi præscriptionis auxilio illorum dominium aquirent: hæc autem incommoda nequaquam reperiantur in lædente infra dimidium.

Ob. 5. Si leges non transferant in talem læsorem infra dimidium, pretii retenti dominium, tunc erunt injustæ, & fovebunt peccatum: sed hoc non est credibile: ergo &c. Prob. Maj. læ-

so infra dimidium tanquam habenti jus ad defectum pretij competit actio : ergo si hæc tamen denegatur , erunt injustæ leges , rationem justè hoc statuendi fuisse , quia in foro externo tam perfecta æqualitas inter pretium & mercem difficillimè invenitur ,

& discernitur ; ut ergo innumeris litibus , quæ tribunalia defatigarent , obex poneretur , merito jura statuerunt , ut soli læsi ultra dimidium de parte denegati justæ pretij possent in judicio contendere ,

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An restitutio sit facienda , si pretium absolutè quidem erat justum , minus tamen illo , quo venditor rem absente fraude vendidisset ?

23 **S**ciamus pretium vulgare aliud esse rigorosum , seu summum. aliud moderatum , seu medium : aliud infimum seu pium. Potuit itaque contingere , ut venditor rem suam non nisi pretio summo vendidisset ; hæc & nunc autem ab emptore fraudulenter circumventus , infimo ut venderet pretio , inductus fuerit.

24 Dico si cum vera formali deceptione ad venditionem minore , quàm statuerat pretio factam , ab emptore venditor inductus fuerat , ille huic tenebitur , etiamsi solum pretium adhuc constituat infimum justum pretium , ita Palao de *Just. disp. 5. pu. 35. n. 1. la Croix lib. 3. part. 2. de emptione n. 955.*

Prob. concl. quicumque alterum fraude , ac dolo induxit ad quoddam damnum , tenetur hoc

eidem compensare : atqui ponitur venditor dolo ac fraude inductus ab emptore in quoddam damnum : ergo hoc ab emptore erit reparandum , probatur Major , quivis habet jus , ne in damnum per fraudem , atque dolum inducatur : ergo qui alterum per fraudem & dolum induxit in damnum , tenetur hoc eidem reparare ; cum omnis violans alterius jus teneatur hoc eidem reparare. prob. itaque minor primi syllogismi : carentia excessus , quo summum pretium excedit medium , & infimum , aut medium superat infimum , est aliquod damnum : & in hanc carentiam fraude atque dolo fuit inductus ab emptore venditor : ergo venditor ab emptore fuerat inductus in quoddam damnum.

Di-

25 Dices 1. In hoc casu observa-
ta fuit iustitia pretij : ergo non
erit locus restitutioni. R. dist.
conf. non erit locus , nisi vendi-
tor etiam suppositis istis , tamen
injustè fuisset damnificatus : conc.
conf. si fuit injustè damnificatus :
neg. conf.

26 Dices 2. Si justum pretium
venditori fuit pro merce persolu-
tum , non potuit intervenire ali-
qua fraus : ergo nulla est distin-
ctio. R. dist. ant. si illud deter-
minatum justum pretium fuit per-
solutum , quod semota fraude ex-
gisset , & potuisset exigere ven-
ditor , nulla fraus potuit interve-
nisse , conc. si hoc à venditore in-
tentum , & justè intendibile pre-
tium determinatum , non fuit ob-
tentum ex dolo venditoris , non
potuit intervenire fraus , negatur.
fuit in potestate venditoris reti-
nere vel alienare suam rem : item
alienare summo , medio , aut in-
fimo pretio : ergo sicut injuria
venditori fuisset illata , licet pre-
tium justum eidem fuisset persolu-
tum , si aliàs non venditurus ,

fraude fuisse inductus ad alienan-
dum : ita etiam eidem fuit inju-
ria illata , si fraude fuerat inductus,
ut minore , quàm intenderat , pre-
tium rem suam alienaverit.

Dices 3. Pretium infimum à
medio parum distat : ergo in hoc
facta deceptio non est curanda ;
nam cum parum à medio distet,
non censetur à venditore curari.
Conf. Saa verbo : *venditio* n. 20,
ut aphorismum assertit , quod pa-
rum est , censetur emptor & ven-
ditor condonare invicem , n. dist.
ant. parum distat subinde : conc.
semper , ac universaliter , neg.
ant. & dist. conf. ergo non est
curanda , si deceptio sit magna ,
& multum inter se hæc preta
differant : neg. si parum differant
subdisting. si adsint aliqua conje-
cturæ donationis : conc. si hæc de-
sint neg. nulla autem talia signa
dabuntur , si deceptio interven-
rit , eò quod difficulter donemus
alijs , quod hi fraude ac dolo nos
circumvenientes nobis invidiis
injustè extorserunt.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum?

An Sempronius teneatur rustico ad restitutionem?

23 Dico, eundem ad restitutionem damni allati venditori rustico obligatum esse. Prob. conclus. Sempronius formali sua deceptione, dolo scilicet, mendacijs, aut falsitate grave damnum intulit venditori, & quidē cum injuria formali: ergo tenebitur illud reparare. prob. ant. Sempronius juxta fundamenta hæcenus posita non excusatur ex eo, quòd in hoc pretium consenserint ambo contrahentes ex altera verò parte licitum sit quolibet pretio rem emere aut vendere; prout in r. §. probavimus: Neque excusatur ex eo, quòd læsio circumventi venditoris infra dimidium constiterit: ratio ex dictis est, quia etiam hæc læsio in foro conscientie ad restitutionem obligat. Ad do, quòd ponatur formalis deceptio intervenisse, & formalis deceptio, etiam si infra dimidium iusti pretij constiterit, in foro quoque externo actionem doli taliter læso concedat; prout habetur ex lege Julianus: §. si venditor: & §. idem Julianus ff. de actionibus empt. lege 1. §. persuadere ff. de servo corrupto: lege si quis affirmaverit: ff. de dolo: uti docet Palao de Just. disput. 5. puncto 17. §. 3. n. 2. citans Covarsiviam Pixel, Marieni, Azebedo,

Salas tract. de emptione dub. 27. n. 7. vel igitur hic à Sempronio adhibitus dolo fuit causa hujus violoris venditionis, eò quòd venditor in hoc pretium nequaquam consensisset, si dolo emptoris non intervenisset? Et tunc ex communi sententia emptio hæc fuit omnino nulla, vel ponitur, dolo incidisse tantummodo in contractum, in quantum venditor ita fuerat constitutus, ut esto dolo non intervenisset, adhuc tamen rem vendidisset & tunc contractus quidem fuit validus, actione tamen doli rescindendus venit, vel pretium supplendum erit ad arbitrium decepti, penes quem est liberrima inter alterutrum istorum electio.

Tertiò denique neque excusatur ex eo, quòd pretium solutum, infimum quidem fuerit, iusto tamen neutiquam inferius; si enim damnum ad decem florenos ascenderit, non videtur deceptio præcisè in illo constiterit, quòd infimum loco medij, aut rigorosi tantummodo perfolutum fuerit pretium. Dein ex resolutione tertij quæsitij constat, etiam talem formalem deceptorem in conscientia obligatum ad restitutionem damnificatio esse.

Bb

CA-